

De Allegorica interpre-tandi





RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

AD

PENTECOSTALIA SACRA

IN

TEMPLO ACADEMICO

ORATIONE SOLEMNI

DIE XIX. MAII A. R. S. MDCCLXXXII.

RITE CONCELEBRANDA

INVITAT.

Continuatur argumentum: de allegorica interpretandi ratione.

RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

AD

PENTECOSTALIA SACRA

IN

TEMPLO ACADEMICO

ORATIONE SOLEMNI

DIE XIX. MAII A. R. S. MDCCLXXXII.

RITE CONCELEBRANDA

INVITAT.

Continuatur argumentum: de allegorica interpretandi ratione.

In maximis iis atque eximiis donis quibus Spiritus Sanctus non Apostolos solum ornauit et ad gerendum munus idoneos reddidit, verum reliquos etiam eius quidem temporis Doctores instruxit, quid quod et auditoribus eorum ad fidem oraculis diuinis habendam et vitam doctrinae conformem agendam facultatem et vires concessit, quorum memoriam his potissimum diebus pie recolimus; eminet προφητεία tantopere a Paulo commendata, qui reliquis omnibus eam praeferendam esse contendit, Christianos hortatus: ζηλοῦτε τὰ πνευματικὰ, μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε 1 Cor. XIV, 1. eius vsum laudans v. 3. ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν. Quibus ex locis patet quo sensu προφητεύειν et προφητεία a Paulo adhibeatur. Scilicet non de praedictione rerum futurarum, qua quippe paucissimi gaudebant, et quam vel summo studio et omnibus animi viribus intentis, consequi tamen vix potuissent, vt adeo vana fuerit et inanis admonitio Apostoli, quod ne cogitare quidem licet. Alia potius significatio locum obtineat necesse est, nimirum ea, qua de interpretatione oraculorum V. T. et iusta vaticiniorum explicatione cogitamus, quae in Messia euentum habuere certissimum. Quemadmodum enim προφήτης non is tantum nominatur, qui res ignotas et a Deo sibi patefactas aliis manifestat; sed quoque hoc nomine insigniri solet, qui oracula diuina interpretatur, aliisque verum eorum sensum exponit: ita et προφητεύειν atque προφητεία eodem modo explicanda esse dubio caret. Atque huius interpretationis donum vario modo contigisse Apostolis reliquisque Doctoribus, auditoribus etiam non exclusis, ipsa verba laudata suadent. Quam enim Apostoli et alii forte Doctores ab ipso Spiritu Sancto edocti sunt sine mediis interpretandi scientiam, eam reliqui diligenti studio et opera in scrutandis literis sacris indefessa, cooperante Spiritu sancto sibi suam facere debuerunt. Indicauimus alio loco *) Vitringae opinionem, qui ad donum προφητείας Apostolis collatum referre non dubitat, quod allegoricos Scripturae locos clarius, quam Doctores superiorum temporum et ipsi adeo Prophetae intelligere potuissent,

*) in Programm. quo Panegyris ad solemnem Promotionem Doctorum theologiae indicebatur, p. 17.

tuiſſent, cui adſenſum noſtrum, productis in medium rationibus denegauimus. Sed de dono προφητείας plura commemorare non attinet. Arripimus potius opportunam ſatis occaſionem ea continuandi, quae de allegorica interpretandi ratione nuper dicere incepimus, atque expoſitis iis, quae ad eius fata inter gentiles et Iudaeos pertinere videbantur, promiſſis ſtabimus, recenſendis iis, quae ad eandem interpretandi rationem inter Chriſtianos iure meritoque referenda eſſe cenſemus.

Photius in Biblioth. Cod. CV. de Philone verba faciens, ἐξ ȣ̃ inquit, οἶμαι καὶ πᾶς ὁ ἀλληγορικὸς ἐν ἐκκλησίᾳ λόγος ἔσχεν ἀρχὴν εἰσρυῆναι. Quem locum Mangeius carpit, quod Philonem Allegoriarum auctorem omnium primum putauerit Photius, quem etiam facili negotio confutat, docens Philonem alios praeeuntes ſequutum eſſe, dum ex ipſo Philone laudat teſtimonia, quibus antiquiores ſe interpretes, hoc inſtitutum perſecutos eſſe, memoraſſet. Sed non opus erat hac confutatione, dummodo quae Photius dixerat attente ſatis conſideraſſet Mangeius. Eccleſia enim, quam Photius nominat, eſt ſine dubio non Iudaica ſed Chriſtiana; in hanc quidem fluxiſſe allegoricam interpretationem e Philone affirmat, et iure omnino affirmare poterat. Quotquot enim inter Patres eccleſiae huic interpretandi generi maxime dediti fuere, ii ex ſchola Alexandrina prodierunt, et in primis ex aſſidua Philonis lectione, hanc hauſerunt facultatem, quae eo magis alebatur, quo liberior allegoriarum vſus etiam eſſet apud alios, qui vel Platonis placita ſequerentur, vel e Iudaiſmo hoc ſtudium in Chriſtianam attuliſſent ciuitatem. Hanc nimirum fuiſſe originem interpretationis allegoricae, in eccleſia Chriſtiana, atque ex his fontibus hauſiſſe, qui eam maxime ſequuti ſint, et ad poſteros propagarint, hiſtoria eorum temporum teſtis eſt, et a nobis vberiori iam tractatione declarabitur. Cum enim hactenus de gentilibus et Iudaeis ea, quae ad inſtitutum noſtrum ſpectare viderentur, paucis expoſuerimus, iam ad Chriſtianos eorumque antiquos Doctores, qui allegoriis delectabantur, accedemus. Primus ſe nobis affert *Barnabas*, cuius epiſtola, ſi modo genuina eſt et viro Apoſtolico non prorſus indigna, ſcatet allegoriis nimis contortis et frigidis, quin fabulis, de animalium naturis et cauſis, cur Deus olim Iudaeos ea edere vetuerit. Quapropter eam Euſebius Hiſt. Eccl. L. III. c. 25 inter νόθȣς refert, quod quamuis non de ſpuria et falſa intelligat, auctoritatem

ritatem tamen ei denegat hoc nomine, quo intelliguntur ſcripta quorum fides ſit dubia. Vnam exempli cauſa allegoriam commemoraſſe ſat erit: Capite nono e numero ſeruorum Abrahami 318. τ ι ή Ieſum crucifixum mira ſane aſtutia extortum eſſe, quis non miretur? Scilicet primae litterae nominis Ιησȣς, ι. et η efficiunt 18. et τ quod crucis figuram exhibet, valet 300. quibus collectis habes numerum ſeruorum Abrahami. Omitto alia quae ibi adduntur. Ceterum hanc interpretandi rationem, ipſe epiſtolae auctor nomine γνώσεως ornat Cap. I. et II.

Hermae vero, cui liber, quem ipſe Paſtoris nomine inſcribere voluit, tribuitur, an inter eos, qui allegoricam interpretationem propagarint, locum adſignemus, dubitamus. Quamuis enim eius Viſiones, Praecepta et Similitudines, allegorica opus habeant interpretatione, ipſe tamen nunquam fere ſacrarum literarum interpretem agit, et vbi locum ex iis affert, quod quidem raro fit, nullam addit explicationem, ſed ſuis quibusdam meditationibus illuſtrare ſolet.

Mittimus alios de quibus hoc loco non attinet dicere, et ad eos accedimus, qui allegoricae interpretationi auctoritatem maxime conciliarunt, doctrina inſignes *Clementem* ſcilicet *Alexandrinum* et *Origenem*, quorum ille quidem huius praeceptor, quam ex Philone hauſerat, ſcientiam, non ipſe ſolum in ſcriptis ſuis adhibuit, ſed et diſcipulo inſtillauit, quem huius interpretationis acerrimum Patronum fuiſſe omnes vno ore profitentur. *Clemens* quidem *Alexandrinus* in Cohortatione ad gentes, ſerpentem eodem modo vt Philo allegorice, voluptatem interpretatur p. 86. edit. Potteri ὁ πρῶτος (ἄνθρωπος) ὅτε ἐν Παραδείσῳ ἔπαιζε λελυμένος, ἐπεὶ παιδίον ἦν τȣ̃ Θεȣ̃· ὅτε δὲ ὑπέπιπτεν ἡδονῇ· ὄφις ἀλληγορεῖται ἡδονὴ, ἐπὶ γαστέρα ἕρπȣσα, κακία γήϊνη, εἰς ὕλας τρεφομένη· παρήγετο ἐπιθυμίαις ὁ παῖς ἀνδριζόμενος ἀπειθείᾳ. *Primus homo olim Paradiſum incolens ludebat ſolutus, quia puerulus erat Dei, cum vero ſe ſubiecerat voluptati, (voluptatem enim innuit ſerpens, eo quod ventre gradiatur, terreſtre vitium, igni paſcendo deſtinatum) a prauis libidinibus ſeductus, contumacia edoleuit.* Similia his leguntur apud Philonem Hexaemero, de legum allegoriis, et de agricultura p. 201. 202. ed. Mang.

Sed quamuis concedamus hanc allegoriam e Philone hauſiſſe Clementem, non tamen exiſtimamus eum hiſtoricum narrationis Moſaicae ſenſum de peccato primorum hominum prorſus ſuſtuliſſe. Hoc nimirum

rum familiare est ipsi et commune cum Philone, quod historicum sensum cum allegorico coniungat; hunc morem vterque seruat in historiis Patriarcharum explicandis, quarum verum et proprium sensum non quidem negant, sed in eo potius acumen ingenii quaerunt, affectantes eximiam quandam doctrinam, si praeter historicum, alium interiorem et reconditum effingere possint. Quod vt eo certius nobis in eadem de Adami peccato, historia persuadeamus, exigit alius locus, quem eodem in libro legimus, p. 7. τὸ γὰρ πονηρὸν καὶ ἑρπιστικὸν θηρίον γοητεῦον καταδουλοῦται καὶ αἰκίζεται εἰσέτι νῦν τοὺς ἀνθρώπους ἐμοὶ δοκεῖν βαρβαρικῶς τιμωρούμενον, οἱ νεκροῖς τοὺς αἰχμαλώτους συνδεῖν λέγονται σώμασιν, ἔστ᾽ ἂν αὐτοῖς καὶ συσσαπῶσιν ὁ γοῦν πονηρὸς οὑτοσὶ τύραννος καὶ δράκων· οὓς ἂν οἷόστε εἴη ἐκ γενετῆς σφετερίσασθαι, λίθοις, καὶ ξύλοις καὶ ἀγάλμασι, καὶ τοιούτοις τισὶν εἰδώλοις προσφίγξας τῷ δεισιδαιμονίας ἀθλίῳ δεσμῷ· τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον· ζῶντας ἐπιφέρων συνέθαψεν αὐτοῖς, ἔστ᾽ ἂν καὶ συμφθαρῶσιν. οὗ δὴ χάριν· (εἷς γὰρ ὁ ἀπατεὼν,) ἄνωθεν μὲν τὸν Εὔαν. νῦν δὲ, ἤδη καὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους εἰς θάνατον ὑποφέρων. *Nam in hunc usque diem malignus ille serpens humanum genus praestigiis suis in contumeliosam et miseram seruitutem abducit; saeuitque in eos vt ita dicam barbarorum ritu, qui captivos suos mortuorum cadaueribus, donec vna putrescant alligare feruntur. Dum enim quoscunque a sui ortus principio ad proprias trahere partes valet, crudelis ille Tyrannus et Serpens, ad lapides, ligna, statuas, reliquaque idola, misero superstitionis vinculo constringit, non incommode dicitur, viuos communi tumulo inferre donec vna cum illis intereant. Quamobrem Euam olim (vnus etenim idemque seductor est) et alios nunc homines in mortem ducit.* Quem hic per ἀπατεῶνα intelligat aperte ostendit, addens: φύγωμεν οὖν, Αποστολικῇ πειθόμενοι παραγγελίᾳ, τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας· *Fugiamus igitur Apostoli praecepto obsequentes, principem potestatis aëris huius, spiritum, qui nunc operatur in filiis inobedientiae.* Nullam hic in verbo serpentis agnoscit voluptatem, quin disertis verbis interpretatur de spiritu malo, a quo primi homines in fraudem sunt inducti. Aut itaque sibi non constat *Clemens Alexandrinus*, aut quod magis probabile est, sensum proprium et historicum ipse quidem probat, cum tamen non solum, quod singularis cuiusdam doctrinae esse putauit, occultum sensum non cuiuis obuium, ex eadem historia eruere.

Neque

Neque tamen ita deditus fuit Clemens noſter allegoriis, vt eas ſemper ſectaretur, quin eaſdem interdum reiecit, quod locus e multis euincit vnus. Paedag. L. I. C. 5. p. 104. edit. Potteri ὁ Κύριος λέγων. ἐαὶ μὴ ϛραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδιά ταῦτα, ȣ̓ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν ȣ̓ρανῶν, ȣ̓ τὴν ἀναγέννησιν ἐνταῦθα ἀλληγορῶν, ἀλλὰ τὴν ἐν παισὶν ἁπλότητα εἰς ἐξομόιωσιν παρακάτατιθέμενος ἡμῖν. *Dominus dicens: Niſi conuerſi fueritis, et efficiamini ſicut hi puelli, non intrabitis in regnum coelorum, non regenerationem allegorice hic ſignificans, ſed eam quae in pueris ineſt ſimplicitatem, vt eius ſimilitudinem referamus, commendans.* Vel hic ſolus, locus in quo allegoricum ſenſum non admittit, argumento eſſe poteſt, Clementem non vbique ſine diſcrimine allegoriae fuiſſe defenſorem.

Idem tamen in ea fuit opinione, qua doctrinam de religione, et a gentilibus et in literis ſacris ita traditam eſſe putaret, vt requireret quandam animi conformationem et attentionem in eo, qui ad eam cognoſcendam accederet. Itaque vult, vt animus illius purus ſit a rebus externis, et alienus a vanis, qui quae ad cultum ſummi Numinis et mentis humanae emendationem pertineant, perſpicere velit. Ceterum inſtitutionem ipſam de his tanti momenti rebus, ita eſſe comparatam, vt attentionem facile excitaret, quam qui adhibere non detrectet, ei demum praemii loco, aditum ad verum ſenſum patere, eundemque adcuratam cognitionem conſequi poſſe. Quam quidem ſententiam his verbis declarat Strom. L. V. T. II. p. 656. ſq. ὅσον γὰρ τυφλὸν ἔτι καὶ κωφὸν ȣ̓ ξύνεσιν ἔχον, ȣ̓δὲ φιλοθεάμονος ψυχῆς ὄψιν ἀθαμβῆ τε καὶ ὀξυδερκῆ· ἣν ὁ Σωτὴρ ἐντίθησι μόνος, ὥσπερ ἐν τελεταῖς ἀμυητὸν, ἢ ἐν χορείαις ἄμȣσον, ȣ̓́πω καθαρὸν ȣ̓́δε ἄξιον ἁγνῆς ἀληθείας, ἐκμελές τε καὶ ἄτακτον καὶ ὑλικὸν ἔτι, ἔξω θείȣ χορȣ͂ ἵϛασθαι δεῖ· πνευματικοῖς τε γὰρ πνευματικὰ συγκρίνομεν· διὰ τȣ͂τό τοι τῆς ἐπικρύψεως τὸν τρόπον, θεῖον ὄντα, ὡς ἀληθῶς καὶ ἀναγκαιότατον ἡμῖν ἐν τῷ ἀδύτῳ τῆς ἀληθείας ἀποκείμενον ἱερὸν ἀτεχνῶς λόγον, Αἰγύπτιοι μὲν διὰ τῶν παρ᾽ ἀυτοῖς ἀδύτων καλȣμένων, Εβραῖοι δὲ διὰ τȣ͂ παραπετάσματος ᾐνίξαντο· μόνοις δ᾽ ἐξῆν ἐπιβαίνειν ἀυτῶν τοῖς ἱερωμένοις, τȣτέϛι, τοῖς ἀνακειμένοις τῷ θεῷ, τοῖς περιτετμημένοις τὰς τῶν παθῶν ἐπιθυμίας, διὰ τὴν πρὸς μόνον τὸ θεῖον ἀγάπην· ȣ̓ καθαρῷ γὰρ καθαρȣ͂ ἐφάπτεσθαι ȣ̓ θεμιτὸν εἶναι συνεδόκει καὶ Πλάτωνι, ἐντεῦθεν αἱ προφητεῖαι, οἵ τε χρησμοὶ λέγονται δι᾽ αἰνιγμάτων· *Quicquid enim eſt adhuc ſurdum et coecum, nec habet intelligentiam, neque animae contemplan-*

templandi cupidae interritum et perspicacem visum, quem solus praebet Servator, sicut in mysteriis prophanum, vel in choreis musicae imperitum, nondum mundum, nec casta veritate dignum, inconcinnumque et inordinatum, et adhuc materialem, stare oportet extra chorum diuinum, Spiritalibus enim spiritalia comparamus. Propterea certe per modum occultationis, eum, qui est vere diuinus et maxime nobis necessarius, in adyto veritatis expositum sermonem vere sacrum, Aegyptii quidem per ea, quae apud ipsos vocantur adyta, Hebraei autem, per velum significarunt: quae adire solis licebat iis, qui erant ex ipsis consecrati, hoc est Deo dedicati, quibus erant circumcisae vitiorum cupiditates, per suam in solum Deum charitatem. Non mundo enim mundum tangere Platoni quoque videbatur esse nefarium. Hinc prophetiae et responsa dantur per aenigmata.

His addimus alium locum e Strom. L. VI. T. II. opp. p. 802. sq. Ὃ δὲ ἀκȣ́ετε εἰς τὸ ȣ̃ς ἐπικεκρυμμένως δηλονότι καὶ ἐν μυςηρίῳ (τὰ τοιαῦτα γὰρ εἰς τὸ οὖς λέγεσθαι ἀλληγορεῖται) ἐπὶ τῶν δομάτων φησὶ κηρύξατε· μεγαλοφρόνως τε ἐκδεξάμενοι καὶ ὑψηγόρως παραδιδόντες, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα, διασαφȣ̃ντες τὰς γραφάς· ȣ̃τε γὰρ ἡ προφητεία, ȣ̃τε ὁ Σωτὴρ αὐτὸς, ἁπλῶς ȣ̃τως ὡς τοῖς ἐπιτυχȣ̃σιν εὐάλωτα εἶναι, τὰ θεῖα μυςήρια ἀπεφθέγξατο, ἀλλ' ἐν παραβολαῖς διελέξατο· λέγȣσι γȣ̃ν οἱ Ἀπόςολοι περὶ τȣ̃ Κυρίȣ, ὅτι πάντα ἐν παραβολαῖς ἐλάλησεν καὶ ȣ̓δὲν ἄνευ παραβολῆς ἐλάλει αὐτοῖς — Ἅπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων φησὶν ἡ γραφὴ, *) τȣτέςι τῶν ὅσοι ὑπ' αὐτȣ̃ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν, κατὰ τὸν ἐκκλησιαςικὸν κανόνα ἐκδεχόμενοι διασώζȣσι. Κανὼν δὲ ἐκκλησιαςικὸς, ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμȣ τε καὶ προφητῶν, τῇ κατὰ τὴν τȣ̃ Κυρίȣ παρȣσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ — Διὰ πολλὰς τοίνυν αἰτίας ἐπικρύπτονται τὸν νȣ̃ν αἱ γραφαί· πρῶτον μὲν ἵνα ζητητικοὶ ὑπάρχωμεν καὶ προσαγρυπνῶμεν ἀεὶ τῇ τῶν σωτηρίων λόγων εὑρέσει· ἔπειτα, μηδὲ τοῖς ἅπασι προσῆκον ἦν νοεῖν, ὡς μὴ βλαβεῖεν ἑτέρως ἐκδεξάμενοι τὰ ὑπὸ τȣ̃ ἁγίου Πνεύματος σωτηρίως εἰρημένα. διὸ τὴ τοῖς ἐκλεκτοῖς τῶν ἀνθρώπων, τοῖς τε ἐκ πίςεως εἰς γνῶσιν ἐγκρίτοις, τηρȣ́μενα τὰ ἅγια τῶν προφητειῶν μυςήρια, ταῖς παραβολαῖς ἐγκαλύπτεται. *Quod auditis in aurem, abdite scilicet et mystice (nam quae sunt eiusmodi, dicuntur in aurem dici allegorice) super domos, inquit, praedicate, ea scilicet magnifice excipientes, sublimiter dicenda tradentes, et ex regula veritatis scripturas explican-*

*) Prou. VIII. 9. cf. versionem τῶν ό et vulg.

plicantes. Neque enim Prophetia, neque ipse Seruator adeo aperte eloquutus est diuina mysteria, vt ea facile capi possent a quibuslibet, sed disseruit in parabolis. De Domino quidem certe dicunt Apostoli quod omnia loquutus est in parabolis et nihil loquebatur eis sine parabola — Recta sunt omnia inquit scriptura, coram iis qui intelligunt, h. e. iis qui ab ipso declaratam scripturarum expositionem, ex ecclesiastica regula accipientes conseruant. Regula autem ecclesiastica est concentus et consensio legis et Prophetarum conuenienter testamento quod traditur per Domini aduentum. — Propter multas ergo causas occultant scripturae sententiam. Primum quidem vt diligenter inquiramus et semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Praeterea ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea, quae a sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca electis hominibus et iis, qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem, adseruata sancta mysteria Prophetiarum, leguntur parabolis.

In his quidem ablegat *Clemens* ad regulam quandam et normam interpretandi, quam omnes sequi debeant, et quam τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα et τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα nominat, vtroque nomine idem sine dubio indicans. Et eius quidem regulae veritatis Christum ipsum facit auctorem, quippe qui Apostolis veram scripturarum cognitionem tradidisset, eosque in rebus quae ipsis in aurem dixisset, vberiori et adcuratiori institutione de vero verborum sensu edocuisset, eo quidem consilio vt eam cum aliis communicarent, et eundem sensum verum iis instillarent, quibus doctrinam praeceptoris promulgarent, eosque aptos redderent ad Scripturam recte explicandam. Eam autem explicationem, allegoricam a Clemente intelligi exinde patet, quod non Prophetae solum verum ipse Seruator figuris et parabolis vsi sint in tradenda doctrina. Has igitur vt recte intelligamus, opus esse ipsa Christi explicatione, Apostolis et per eos aliis patefacta, atque hanc ab ipso Christo suppeditatam esse regulam, qua adhibita, in allegorica interpretatione errores optime euitari possent, hanc qui seruaret ei omnia esse expedita, nec vllam de vero sensu superesse dubitationem.

Hanc vero explicationem instituendam esse praecipit e canone ecclesiastico, id est ex eo quem sequi debeant verae ecclesiae ciues. Quemadmodum enim Christus harmoniam legis et Prophetarum cum sua doctrina semper ostenderit, ita etiam eos, qui eam sequerentur, optimam inter Veteris et N. T. doctrinam, consensionem perspicere. Vtinam

templandi cupidae interritum et perſpicacem viſum, quem ſolus praebet Servator, ſicut in myſteriis prophanum, vel in choreis muſicae imperitum, nondum mundum, nec caſta veritate dignum, inconcinnumque et inordinatum, et adhuc materialem, ſtare oportet extra chorum diuinum, Spiritalibus enim ſpiritalia comparamus. Propterea certe per modum occultationis, eum, qui eſt vere diuinus et maxime nobis neceſſarius, in adyto veritatis expoſitum ſermonem vere ſacrum, Aegyptii quidem per ea, quae apud ipſos vocantur adyta, Hebraei autem, per velum ſignificarunt: quae adire ſolis licebat iis, qui erant ex ipſis conſecrati, hoc eſt Deo dedicati, quibus erant circumciſae vitiorum cupiditates, per ſuam in ſolum Deum charitatem. Non mundo enim mundum tangere Platoni quoque videbatur eſſe nefarium. Hinc prophetiae et reſponſa dantur per aenigmata.

His addimus alium locum e Strom. L. VI. T. II. opp. p. 802. ſq. Ὃ δὲ ἀκούετε εἰς τὸ οὖς ἐπικεκρυμμένως δηλονότι καὶ ἐν μυστηρίῳ (τὰ τοιαῦτα γὰρ εἰς τὸ οὖς λέγεσθαι ἀλληγορεῖται) ἐπὶ τῶν δομάτων φησὶ κηρύξατε· μεγαλοφρόνως τε ἐκδεξάμενοι καὶ ὑψηγόρως παραδιδόντες, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα, διασαφοῦντες τὰς γραφάς· οὔτε γὰρ ἡ προφητεία, οὔτε ὁ Σωτὴρ αὐτὸς, ἁπλῶς οὕτως ὡς τοῖς ἐπιτυχοῦσιν εὐάλωτα εἶναι, τὰ θεῖα μυστήρια ἀπεφθέγξατο, ἀλλ' ἐν παραβολαῖς διελέξατο· λέγουσι γοῦν οἱ Ἀπόστολοι περὶ τοῦ Κυρίου, ὅτι πάντα ἐν παραβολαῖς ἐλάλησεν καὶ οὐδὲν ἄνευ παραβολῆς ἐλάλει αὐτοῖς — Ἅπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων φησὶν ἡ γραφὴ, *) τουτέστι τῶν ὅσοι ὑπ' αὐτοῦ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν, κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ἐκδεχόμενοι διασώζουσι. Κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς, ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν, τῇ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ — Διὰ πολλὰς τοίνυν αἰτίας ἐπικρύπτονται τὸν νοῦν αἱ γραφαί· πρῶτον μὲν ἵνα ζητητικοὶ ὑπάρχωμεν καὶ προσαγρυπνῶμεν ἀεὶ τῇ τῶν σωτηρίων λόγων εὑρέσει· ἔπειτα, μηδὲ τοῖς ἅπασι προσῆκον ἦν νοεῖν, ὡς μὴ βλαβεῖεν ἑτέρως ἐκδεξάμενοι τὰ ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος σωτηρίως εἰρημένα. διὸ τὴ τοῖς ἐκλεκτοῖς τῶν ἀνθρώπων, τοῖς τε ἐκ πίστεως εἰς γνῶσιν ἐγκρίτοις, τηρούμενα τὰ ἅγια τῶν προφητειῶν μυστήρια, ταῖς παραβολαῖς ἐγκαλύπτεται. *Quod auditis in aurem, abdite ſcilicet et myſtice (nam quae ſunt eiusmodi, dicuntur in aurem dici allegorice) ſuper domos, inquit, praedicate, ea ſcilicet magnifice excipientes, ſublimiter dicenda tradentes, et ex regula veritatis ſcripturas explican-*

*) Prou. VIII. 9. cf. verſionem των ό et vulg.

plicantes. Neque enim Prophetia, neque ipse Seruator adeo aperte eloquutus est diuina mysteria, vt ea facile capi possent a quibuslibet, sed disseruit in parabolis. De Domino quidem certe dicunt Apostoli quod omnia loquutus est in parabolis et nihil loquebatur eis sine parabola — Recta sunt omnia inquit scriptura, coram iis qui intelligunt, h. e. iis qui ab ipso declaratam scripturarum expositionem, ex ecclesiastica regula accipientes conseruant. Regula autem ecclesiastica est concentus et consensio legis et Prophetarum conuenienter testamento quod traditur per Domini aduentum. — Propter multas ergo causas occultant scripturae sententiam. Primum quidem vt diligenter inquiramus et semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Praeterea ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea, quae a sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca electis hominibus et iis, qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem, adseruata sancta mysteria Prophetiarum, leguntur parabolis.

In his quidem ablegat *Clemens* ad regulam quandam et normam interpretandi, quam omnes sequi debeant, et quam τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα et τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα nominat, vtroque nomine idem sine dubio indicans. Et eius quidem regulae veritatis Christum ipsum facit auctorem, quippe qui Apostolis veram scripturarum cognitionem tradidisset, eosque in rebus quae ipsis in aurem dixisset, vberiori et adcuratiori institutione de vero verborum sensu edocuisset, eo quidem consilio vt eam cum aliis communicarent, et eundem sensum verum iis instillarent, quibus doctrinam praeceptoris promulgarent, eosque aptos redderent ad Scripturam recte explicandam. Eam autem explicationem, allegoricam a Clemente intelligi exinde patet, quod non Prophetae solum verum ipse Seruator figuris et parabolis vsi sint in tradenda doctrina. Has igitur vt recte intelligamus, opus esse ipsa Christi explicatione, Apostolis et per eos aliis patefacta, atque hanc ab ipso Christo suppeditatam esse regulam, qua adhibita, in allegorica interpretatione errores optime euitari possent, hanc qui seruaret ei omnia esse expedita, nec vllam de vero sensu superesse dubitationem.

Hanc vero explicationem instituendam esse praecipit e canone ecclesiastico, id est ex eo quem sequi debeant verae ecclesiae ciues. Quemadmodum enim Christus harmoniam legis et Prophetarum cum sua doctrina semper ostenderit, ita etiam eos, qui eam sequerentur, optimam inter Veteris et N. T. doctrinam, consensionem perspicere. Vti-

nam ab hac regula nunquam tot interpretes aberrassent, quam hoc loco praescripsit Clemens, nec ipse eam neglexisset. Sed fatendum est omnino Patres per ἐκκλησιαστικὸν illum κανόνα aliam συνῳδίαν intellexisse, quam vtriusque instrumenti consensionem, eam nimirum rationem, qua legem et Prophetas ita interpretarentur, vt consensum cum disciplina quadam arcani et παραδόσει aut γνώσει quam crepabant, eo facilius euincere possent.

Sed in caussis quas affert *Clemens*, cur occulta atque adeo non omnibus intellectu facilis esse debeat scriptura, prima quidem aliqua se commendat probabilitate; altera vero, quod non expediat ab omnibus intelligi, recte e mente *Clementis* est intelligenda et quodammodo excusanda. Quamuis enim eo profecto consilio scriptura sit exarata, vt intelligatur, tamen ex eius sententia, si omnia proprie et nullis inuoluta figuris proposita essent, haec ipsa verborum proprietas effectura fuisset, vt a profanis hominibus minus recte intelligeretur. Quod in sequentibus exemplo quodam illustrat, docens vniuersam carnis Christi historiam, infidelibus videri parabolam, cum tamen nitatur re vere gesta, et sit proprie intelligenda; quoniam nimirum offendantur sermone, qui Deum nasci et pati narret, quod nullo modo admitti posse putent. In his itaque quae sine dubio proprium admittunt sensum, si ab errore non immunes fuere, quanto magis a vero aberrauerint si tota doctrina rationi haud peruia, propriis vbique verbis tradita fuisset. Ita quidem Clemens nescio an satis adcurate colligit. Paulo post p. 807. exemplum posuit gnosticae interpretationis, in exponendo decalogo, in qua κάνόνα ἀληθείας frustra quaero, nec consensus antea laudatus, quem κάνονα ἐκκλησιαστικὸν dixerat, deprehendi a quouis lectore poterit. Cui adeo immorari alienum ducimus. Caeterum in quo ipse peccauit, id in aliis reprehendit et alios seuere castigat ob hunc in interpretando errorem, quem tamen ipse admisit. Accusat enim haereticos, quod falsa interpretatione peruertant vera dogmata, dum aliorsum verborum significationes detorqueant. Audiamus ipsum conquerentem, Strom. VII. T. II. opp. p. 891. κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς, καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες· πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, ἔπειτα οὐ τελείαις, οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει· ἀλλ᾽ ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα, εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς· οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ᾽

αὐτῶν

αὐτῶν σκοπᾶντες ἀλλ᾽ αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. — *ἡ ἀλήθεια οὐκ ἐν τῷ μετατιθέναι τὰ σημαινόμενα εὑρίσκεται· ὅτω μὲν γὰρ ἀνατρέψασι πᾶσαν ἀληθῆ διδασκαλίαν.* *Quodſi propheticis quoque ſcripturis uti auſi fuerint, qui ſectantur haereſes, primum quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque ut dictat corpus et contextura Prophetiae, verum eligentes ea quae dicta ſunt ambigue, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces ſparſim carpentes, neque id conſiderantes, quod ex ipſis ſignificatur, ſed ipſa nuda dictione utentes.* — *Veritas non inuenitur in translatione ſignificationum, ſic enim omnem euerterent doctrinam.*

Subſcribimus lubentiſſime huic vltimae ſententiae, quam ſi ſemper ſibi habuiſſet propoſitam, nae ille in effingendis tot contortis et a vero prorſus abhorrentibus interpretationibus inſumſiſſet operam adeo inanem. Sed ſatis de *Clemente* diximus. Ad Originem deueniamus. Hunc enim licet omnium Patrum doctiſſimum, allegoriarum tamen in primis Patronum, quin allegoricae adeo interpretationis quaſi ſtatorem fuiſſe, omnes, quotquot hoc argumentum attigerunt, vno ore profitentur. Qui tamen ſi literalem ſenſum prorſus neglexiſſe Origenem contendant, non minus iniqui ſunt atque iniurii in virum eximium, quam qui aliis criminibus de tanti viri mortui fama detrahere non dubitarunt. Neque enim ſenſum quem dicunt literalem prorſus abiecit, nec primus fuit, qui hunc interpretandae ſcripturae morem in eccleſiam inuexit. Sequebatur eccleſiae conſuetudinem, cuius auctorem facit Philonem Photius Cod. 105. loco de quo diximus ſupra; imo Ariſtobulum Iudaeum Philone vetuſtiorem in Commentariis ſuis in Pentateuchum Moſis allegorias adhibuiſſe et ſupra iam a nobis indicatum. Neque tamen negamus quaedam e Philoſophia gentilium traxiſſe *Origenem. Porphyrius* Hiſt. eccl. L. VI. Cap. 19. auctor eſt, Origenem ex aſſidua librorum Chaeremonis Stoici et Cornuti tractatione, hauſtum hunc allegoriarum amorem ad ſacras literas transtuliſſe. Inprimis autem Pauli Apoſtoli auctoritatem ſibi propoſitam eſſe debere putauit *Origenes.* Nam ipſe fatetur L. IV. contra Celſum edit. Delarue T. I. p. 537. *νύμφας τε καὶ θεραπαινίδας ἀνάγεσθαι ἐπὶ τροπολογίαν, οὐχ ἡμεῖς διδάσκομεν ἀλλ᾽ ἄνωθεν ἀπὸ σοφῶν παρειλήφαμεν, ὧν εἷς τις ἔφασκε, διεγείρων τὸν ἀκροατὴν ἐπὶ τροπολογίας, λέγετέ μοι οἱ τὸν νόμον ἀναγινώσκοντες, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε;* *Quod ad uxores legitimas et*

ancillas

ancillas attinet, id quoque ſenſu tropologico eſſe accipiendum, non inuentum noſtrum eſt, ſed id docuere ſapientes qui ante nos fuerunt. Horum vnus auditorem erigens ad tropologias ſic loquitur: Dicite mihi vos qui legem legitis, legem non intelligitis? vbi ad Pauli verba Gal. IV: 21. prouocat, aliis deinde locis e Pauli epiſtolis allegorias ſuas tuetur. Sed quae fuerit *Origenis* hoc in argumento ſententia, quam rationem ipſe ſeruauerit paulo penitius indagabimus. Triplicem ſcripturae ſenſum *Origenes* ſtatuit, eumque comparatione cum homine inſtituta, illuſtrare ſolet. Quemadmodum enim, ex ipſius quidem ſententia, vtpote qui Platonis placita ſequebatur, homo conſtaret corpore, anima et ſpiritu; ita in ſcriptura ſenſum ineſſe hiſtoricum, moralem, et myſticum. Diſerte hanc ſententiam ſuam facit Homilia V. in Leuit. T. II. opp. p. 209. Triplicem in diuinis ſcripturis intelligentiae inueniri ſaepe diximus modum, hiſtoricum, moralem, et myſticum; vnde et corpus ei ineſſe et animam et ſpiritum intelleximus. Conf. de princip. L. IV. T. I. p. 168. Admiſſa ſemel hac comparatione, qua mire delectatur, eo aufertur, vt nimis eam amplificet et exornet, dum dignitatem cuilibet ſenſui eam tribuit, quam hominis partibus tribuendam eſſe iudicabat. Quemadmodum enim in homine ſpiritus anima, haec vero corpore praeſtaret; ita in ſenſu ſcripturae primas partes myſtico, ſecundas morali, vltimas hiſtorico ſenſui aſſignare non dubitauit.

Poſita hac gradatione, diuerſas quoque claſſes eorum conſtituit, qui ſcripta ſacra ſe intelligere exiſtimarent. Plebem nimirum et ſimpliciores contentos eſſe hiſtorico; qui vltra vulgus ſaperent, eos animam quaerere, et ad moralem aſſurgere ſenſum; ii tandem quibus datum ſit ad ſummam adſpirare perfectionem, ſpiritum ſeu ſenſus myſtici vim aſſequi.

Sed in ſingulis ſcripturae partibus, non eandem triplicis illius ſenſus rationem ſemper quaeri debere contendit. Myſticum quidem per vniuerſam ſcripturam diſperſum eſſe, nec vllum eſſe effatum, in quo ille non poſſit inueniri; moralem etiam eiusdem eſſe amplitudinis, nec vllis finibus circumſcribendum. Aliam vero eſſe hiſtorici ſenſus rationem, hunc non in omnibus locis eſſe quaerendum, eosque adeo in errores incidere, qui non niſi hiſtoricum admittant. Claritate lucet locus *περὶ ἀρχῶν* L. IV. §. 12. T. I. opp. p. 169. *εἰσὶ τίνες γραφαὶ τὸ σωματικὸν ὀυδαμῶς ἔχουσαι — ἐστιν ὅπου οἱονεὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ πνεῦμα*

τῆς

τῆς γραφῆς μόνα χρὴ ζητεῖν. *Sunt scripturae quaedam quae nihil habent corporei (i. e. nullum verborum sensum historicum seu literalem) est vbi sola veluti anima et spiritus (sensus moralis et mysticus) quaeri debet.* Si forte quaeratur quaenam sint illa loca, in quibus omnis absit sensus literalis, respondet Origenes Homil. XI. in Num. T. II. opp. p. 304 sq. distinguendo inter legem et mandatum. Quidquid legis nomine in Mosaicis libris exprimatur, id totum morali et mystico sensu exponendum esse; quidquid vero mandati, testimonii, iudicii rationem habeat, in eo literalem sensum non esse negandum. Caerimonias scilicet et ritus leuiticos, quamuis olim, dum obseruanda fuissent, sensu verborum non caruerint, tamen post Christum N. T. tempore, omnem amisisse verborum sensum. Praecepta autem morum, quae omnibus sine discrimine viuendi praescribant normam, vim suam et sensus adeo literalis ἐνέργειαν retinuisse. In ipso vero sensu hoc triplici inveniendo et indagando, multiplici et varia opus esse hominum cura, et viribus prorsus diuersis. Sensum enim verborum omnibus patere attente legentibus, ad sensum moralem paulo maiorem requiri scientiam, non tamen humana maiorem; mysticum vero non nisi eos perspicere, qui diuinitus edocti, dono quodam extraordinario ab ipso Spiritu sancto essent instructi. Quod cum sibi, quae est eius modestia, arrogare non audeat *Origenes*, eas quas affert interpretationes mysticas, nemini obtrudit, sed suo cuique sensu vti permittit. Spiritualem sensum a spiritu donari ecclesiae, diserte pronunciat Homil. V. in Leuit. §. 5. T. II. opp. p. 209. sq. vbi et de se ipso fatetur: *non sumus illius meriti, vt et nos dicere possimus, Nos sensum Christi habemus 2 Cor. II. 16. — Si enim mererer vt daretur mihi sensus Christi, etiam ego in his dicerem: scimus quae a Deo donata sunt nobis, quae et loquimur 2 Cor. II. 12. sed nunc contenti paruitate sensus nostri etc.* Haec sunt quae de sensu scripturae in vniuersum *Origenes* docuit. Restat vt videamus quomodo in allegorica interpretatione versatus sit, quas illius leges scripserit, et quibus tandem rationibus eas tentauerit fulcire.

Varias adferunt regulas ab ipso *Origene* praescriptas, quibus mysticorum sensuum, et necessitas cognoscatur et intelligentia facilius comparetur, quarum tres commemorat editor Origenis *Delarue* P. II. Praefat. p. 14. quas ad septenarium vsque numerum auxit Moshemius Commentariis de rebus Christianorum ante Const. M. p. 648 — 657.

Facili tamen negotio ad vnam omnia referri possunt regulam: Ad mysticum scilicet sensum et allegorias confugiendum est, et littera deserenda, quoties falsa, inutilia, Deoque indigna sint, quae sensus verborum doceat. Excusandus omnino videretur *Origenes*, si nihil praeter hanc regulam fundamenti loco in interpretatione Scripturae Sacrae posuisset, quam omnes comprobant, qui sibi necessitatem a propria verborum significatione deflectendi, in plurimis locis impositam vident. In hoc tamen *Origenes* peccasse omnino censendus est, quod praeter necessitatem, limites regulae suae transilit, dum abreptus nimio studio, falsa, inutilia et Deo indigna remouendi, eo progreditur, vt plura quae in sacris literis tradantur, pro falsis et inutilibus Deoque indignis habeat, vt nimirum cupiditatem, siue potius, licentiam allegoriis vtendi, eo melius defendere possit. In historia enim sacra, *Origenem* si audias, multa si proprie intelligantur, occurrunt falsa, eaque narrantur, quae vel nunquam euenerunt, vel nullo modo euentum habere potuerunt. Eandem sententiam non erubescit proferre, de legibus V. et N. T. in quibus quippe ea sibi inuenisse visus est, quae nec cum ratione conuenirent, nec Dei sapientia et bonitate essent digna, quin legibus adeo mere humanis inferiora. Quo quidem obligationem ad obedientiam iis praestandam rescindit omnem, vid L. IV. *περὶ ἀρχῶν* n. 15, 16, 17, 18. contra Celsum L. VII. n. 20. 21. Homil. VI. in Iesaiam.

In his haud aliam viam superesse, auctoritatem atque dignitatem diuinam tuendi, quam allegoricam interpretandi rationem. Qua propter saepius in Commentariis legimus: *δεῖ τὴν περὶ τούτων ἀλήθειαν ἀποκεῖσθαι ἐν τοῖς νοητοῖς — δεῖ τὴν δοκοῦσαν διαφωνίαν λύεσθαι διὰ τῆς ἀναγωγῆς.* Sensit *Origenes* duram nimis esse sententiam suam, quam propterea emollire, seque aduersus eos defendere laborat, qui ipsum profligati sensus literalis crimine accusabant. Hunc nimirum non prorsum profligatum vult, allegoricum tamen praefert, nec rationes sibi deesse arbitratur, quibus ex ipsa sapientia et bonitate diuina praesidium arcessat sententiae suae. Sapienti nimirum consilio, Deum per impedimenta et offendicula ad sensum sublimiorem quaerendum excitare voluisse, et cauere, ne sensum moralem et mysticum plane negligerent. Nec pugnare cum bonitate Dei, quod cum instruere homines scientia rerum ad salutem cognitu necessariarum voluerit, metho-

dum

dum adhibuerit inter homines maxime consuetam, et fabulis adeo *fictis*que exemplis atque imaginibus vsus sit, ad cognitionem iis suauius instillandam. Sed quis est qui non videat, haec parum commode ad defendendum errorem esse excogitata. Neque enim eiusmodi adminiculis ad attentionem excitanda erant hominum ingenia, quae omnem scripturae adimerent certitudinem, nec Deum decebat in instituendis hominibus vti fabulis iis, quae speciem veritatis prae se ferrent, adeoque facile possent fallere. Eiusmodi institutionis genus occultum, incertum et fallax, ne inter homines quidem est receptum. Qui enim fabulis vtuntur, ita loqui solent, vt veri et falsi confusio facile euitari possit, et addita explicatione, praecepta morum non occultant, sed manifesta proponunt. Quid? quod parodoxum imo periculosum est, veras historias in fabulas mutare, vt facilior reddatur ea, quam a Deo acceperunt homines institutio.

Miramur profecto *Origenem*, quod non intellexerit, hanc suam opinionem diuina inspiratione esse indignam; aut si intellexerit hoc Deum non decere, quod eo argumento eam voluerit defendere, quo Deum faceret dissimulatorem, ambigui et fallacis sermonis auctorem. Quid enim quaeso sublato sensu literali, gentiles impediebat, quominus omnem prorsus reiicerent Scripturam, tanquam Spiritu sancto indignam? quid haereticos, quominus in suam detorquerent sententiam loca, e quibus, etiamsi iis aperte repugnarent, errores suos defendere conarentur? quid denique Christianos impelleret, vt legerent scripta, quae falsis scaterent et intellectu essent difficillima? Hinc iis, quae literaliter intellecta vera esse concedere cogebatur, pannos quosdam assuebat, fingebatque allegorias, siue quasdam imagines rerum, quae simul indicari illis diceret, quibus hoc efficeret, vt animos a proprio et vero sensu auocatos, ad aliena quasi potiora traduceret. Sic v. c. si hunc mundum vere existere, in dubium vocare voluisset, absona dicere intelligebat; item si in huius mundi partibus Palaestinam, Hierosolymam, Tyrum, Sidonem, Aegyptum, Babylonem, Persiam, Arabiam inueniri cum incolis, negasset, videbat id esse hominis deliri. Sed non ita delirauit *Origenes*, interea tamen duplicem finxit mundum, corporeum vnum alterum spiritualem, atque a sensibus remotum, hunc iterum in coelestem et terrenum diuisit; et terrenum quidem ecclesiam esse, coelestem autem in superis regionibus deprehendi, atque huic

corpo-

corporeo mundo omni ex parte respondere, ad cuius quippe exemplar, inferior hic mundus esset formatus. Aperte hanc sententiam profitetur Commentario in Ioh. T. IX. Vol. II. opp. p. 147. edit. Huetii et T. XIX. p. 283. vbi κόσμον δεικνύμενον καὶ αἰσθητὸν a κόσμῳ ἀοράτῳ ȣ̓ βλεπομένῳ καὶ νοητῷ discernit. Iam vt quae in hoc mundo sunt, spirituali mundo perfecte respondeant, in coelis regiones somniat, Iudaeam, Babylonem, Aegyptum etc. vrbesque tribuit his coelestibus regionibus Hierosolymam, Tyrum, Sidonem, et quotquot in hac terra inueniuntur. Ex quo deinde hanc interpretationis regulam deducit: Quidquid in scriptura de Hierosolyma, Babylone, Aegpyto et aliis locis, quae in orbe nostro reperiuntur, eorumque incolis dicitur, id quoque ad coelestes regiones vrbesque cognomines, atque earum incolas est referendum. Imo saepissime de coelestibus his tantum locis, Prophetas loqui affirmat, cum de terrenis sermonem facere videantur. Ex ipsis adeo Pauli scriptis se hoc dogma hausisse contendit, fretus locis, in quibus de Israelita secundum spiritum et de Hierosolyma superiori Apostolus egit Rom. II. 28. 29. 1 Cor. X. 18. Gal. IV. 26. Ebr. XII. 22. Sed verius ex Platonis doctrina de ideis, eaque immutata et amplificata haec deriuasse, et Philosophiam, quam dicunt imaginariam, cui deditus erat, Theologiae, siue interpretationi sacrarum literarum, accommodasse Origenem perhibetur.

Breui hactenus, quantum licuit, narratione exposuimus, quae fuerit *Origenis* et de sensu scripturae, et de eius interpretandi ratione sententia. Quae si obiter tantum reuocatur, facili negotio ab omnibus, qui praeiudicatis opinionibus non indulgent, repudiabitur. Nam diuisio illa sensus triplex quamuis a quam plurimis veterum et multis recentiorum fuerit adoptata, falsa tamen reperitur et omni fundamento destituta. Certissime enim cum clarissimis interpretibus nobis habemus persuasum, scripturae sensum verum et indubitatum semper non esse nisi vnum, eumque literalem. Moralis enim qui de moribus praecipit, omnino sensus dici non potest, sed est potius proprii et literalis sensus adcommodatio ad caput aliquod doctrinae de moribus illustrandum, qui si a literali prorsus diuersus statuatur et in detrimentum illius extollatur, ita vt solus in locum sensus literalis, qui plane negligitur, aut adeo negatur, succedat, tunc certe omnis in sensu constituendo certitudo tollitur et inuehitur procax in interpretando grassandi libido. Praecepta enim de mori-

moribus tunc demum e literis sacris confirmantur, si vel ipsa ἐγτῶς constituant sensum literalem, vel sponte e literali sensu fluant. Mysticus denique seu typicus qui fingitur, ne nominari quidem potest sensus. Est enim non verborum sed rerum, quas Deus esse voluit signa rerum futurarum, per symbola indicatarum. De quo ne iudicare quidem potest interpres, nisi ab ipso Deo et eius spiritu edoctus, et instructus notionibus rerum, quae per verba symbolice sint significata. Neque audiendus est *Origenes*, si praesidium suae sententiae in metaphoris et tropis quaerit, cum notum sit in omni lingua et sermone quouis, translationes significationum a propria in alienam occurrere, quorum sensus ita vsu tritus est, vt fere proprius appellari possit, adeo vt merito rideatur, qui tropos ad viuum resecare velit, aut falsa dicat inueniri in libro, in quo metaphorae et tropicae legantur loquutiones, de quarum significatione dudum inter se conuenerunt homines eadem lingua vtentes, vt de proprio nemo amplius quaerat. Scriptura sacra nihil in hac re habet diuersi, a ceteris libris, cum Deus se vtique in instituendis hominibus ad humani sermonis leges adcommodauerit. Haec cogitare debebat *Origenes*, cum, vt Scripturam falsa exhibere ostenderet, citaret loca, quae metaphoricum quidem, sed eum verissimum, eundemque literalem sensum haberent. Attamen fortassis si vlterius progressus non fuisset *Origenes*, quodammodo si a verbis quibusdam duris discesseris, excusationem inueniret. Sed e citatis testimoniis liquet, nimis saepe ab eo falsitatis accusari scripturam, cum repudiet in plurimis locis sensum literalem, vbi tamen nullus alius admitti potest et vbi omnes verae historiae characteres et argumenta deprehenduntur, cuiusmodi sunt historia creationis, consitus in terra Paradisus, historia Sarae, Rebeccae, obstetricum Aegyptiarum, tentationis Domini etc. Eo etiam audaciae processit, vt legem Mosaicam, si literali sensu intelligeretur Deo indignam et legibus mere humanis inferiorem pronunciaret. Quod quamuis de lege potissimum caerimoniali dixerit, tamen et in hac literalem sensum prorsus reiiciendum esse non euicit. Quam enim ipse affert sententiae huius rationem, quod lex caerimonialis postquam abrogata sit, non amplius obseruetur, adeoque etiam sensu literali careat, ea falsa est et male ficta. Lex enim haec siue nunc, cum sit abrogata, siue olim, cum esset obseruanda, habet et habuit tantummodo sensum literalem. Typus vt diximus quaerendus est in re non

in verbis. Sic et reliquae eius regulae, nullo innixae fundamento, facile corruunt. Verissimum quidem est Paulum de coelesti quadam Hierosolyma, et de Israelita spirituali esse loquutum, sed quomodo quaeso inde colligere quis iure possit, vt quaecunque de Hierosolyma Palaestinae dicantur, ea ad coelestem sint referenda, atque eadem ratione, Aegyptum, Babyloniam, Tyrum etc. in coelis esse fingendas. Hanc certe profanam et monstro similem, Platonismi et Pythagoreismi cum interpretatione sacra mixturam a Paulo non didicerat *Origenes*. Sed sibi ipsi non satis vbique constat, nec facile conciliantur, quae contra literalem sensum disputat, cum iis, quibus simplicium institutioni et cognitioni, eundem sensum sufficere contendit. Quid? quod pugnare ea inter se videntur, quod idem *Origenes*, qui tot laboribus in textu sacro restituendo, vtilissimis exantlatis, viam aliis ad veram interpretationem aperire atque munire voluerit, in contraria tamen studia abreptus, neglecto sensu literali, allegoriis minium indulgendo, sustulerit omnem interpretationis certitudinem. Sed qui considerauerit opiniones illorum temporum, et studia ab omnibus adamata; scriptorum gentilium, Iudaeorum et Christianorum, qui allegorias sequerentur, tantam auctoritatem; pauca illa quae tum ad scripturae sensum verum eruendum suppetebant adminicula; viuidiorem ingenii Origeniani vim, ac denique stupendam illam, qua opera sua exarabat velocitatem: facile intelliget, non potuisse non ex his fontibus emanare et nasci in *Origene* immmensum illud allegoriarum studium, in quo neminem ante se habuerit superiorem, nec vllum post se sibi parem.

Nondum ad finem perduximus argumenti nostri tractationem, sed libelli ratio exigit, vt quae restent alii loco et tempori referuemus. Nunc id agamus, cuius caussa haec praemisimus. Instant sacra solennia, quibus beneficia per Spiritum sanctum in nos collata pie veneramur, iustisque laudibus eum celebramus, quem et scripturae auctorem et optimum sacrarum literarum interpretem deuota mente agnoscimus, omnium denique bonorum largitorem et fontem vberrimum gratissimo animo suspicimus. Hunc inuocabimus atque ab hoc ardentissimis precibus contendemus, vt qui animos nostros laetissima erexit spe felicitatis obtinendae, quam de haerede concepimus et Patri Patriae et nobis exoptatissimo, eosdem iusto tempore ad gratias agendas, suo auxilio aptos reddat atque idoneos. Pietatis nostrae interpretem elegimus

Virum

Virum Clariſſimum Doctiſſimumque Dominum IOHANNEM CAROLVM HEILIGENSCHMID, Naunhof. Miſn. Philoſophiae et liberalium artium Magiſtrum digniſſimum, eruditionis et morum integerrimorum laude maxime conſpicuum, qui docte et eleganter: *de praeſtantia donorum ſpiritus ſancti ordinariorum prae miraculoſis*, verba facturus, ſanctiſſima ſimul vota pro vita, ſalute et incolumitate *Friderici Augusti* Principis Electoris noſtri Clementiſſimi atque *Vxoris Celſiſſimae*, cui felicem partum omnes adprecamur, nuncupabit, atque Patriam, Eccleſiam, Academiam, vrbem denique totam nobis cariſſimam, piis atque religioſis precibus Deo commendabit. Quem vt *Celſiſſimi Principes, Illuſtriſſimi Comites, Vtriusque Reipublicae Proceres Grauiſſimi, Commilitones Generoſiſſimi et Praenobiliſſimi* beneuole audiant, omni qua decet obſeruantia et humanitate rogamus. P. P. Dominica Exaudi A. R. S. H. MDCCLXXXII.

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

BS	361353
485	De allegorica
.9	interpretandi
.Del	ratione



